



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Epitome Instituti Societatis Jesu**

**Sesti, Curtius**

**Bruxellis, 1690**

Cap. V. De Secunda Probatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

CAPUT V.  
De Secunda Probatione.

## SECTIO I.

De ejus Tempore, Loco, &  
Vestitu.

1. **P**remissis Probationibus, quæ proximo capite relatæ sunt, admittuntur Novitii ad cohabitandum cum aliis, & spatio biennii probantur. Quod quidem spatium metiendum est à die, qua quis in Societatis Domum à Provinciali primam Probationem inchoaturus in Sociorum numerum admittitur, in quacumque demum Domino, vel Collegio id fiat. *b*

2. Hoc autem biennii tempus ita necessario explendum est, ut solius Præpositi Generalis judicio, ex causis non levis momenti, & quidem rarò, contrahi possit. *c* Sed hujus facultatis usus illi interdictus est in ordine ad Vota Simplicia Scholasticorum, per quæ veri Religiosi constituuntur; *d* permissus verò in ordine ad emittendam Professionem, cujus unius videtur posse ingruere necessitas. *e*

3. Hæc

*Biennium Novitiatu.*

*a* Ex. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 16. & 41. & c. 6. §. 8. & P. 4. c. 3. §. 3. & c. 4. §. 5. & P. 5. c. 4. §. 3. & 6. & c. 2. D. 14. & In 6. §. 5.

*b* C. 7. D. 98. & R. M. N. 26.

*Quæ ejus dispensatio permittitur.*

*c* P. 5. c. 1. C.

*d* C. 5. D. 12. & 13.

*e* C. 5. D. 13. & 63.

*Et in jungenda  
Probatione cum  
studiis litera-  
rum.*

*f P. 4. e. 3. §.  
2. & C. 2. D.  
14. & Reg.  
Prov. 38.*

*Quid prestan-  
dum cum Novi-  
tiis in Collegiis.*

*g Reg. Prov.  
38. & Præf.  
Spir. 11.*

*Coadjutores  
temporales quan-  
do educendi.*

*h In 6. §. 5. &  
Or. c. 1. §. 16.*

*Vestes Novitio-  
rum qua?*

3. Hæc tamen non obstant, quominus cum aliquibus ob peculiare rationes dispensari possit, ut in secundo probationis anno, ante emissa substantialia Religionis Vota, literarum studiis dent operam, habitatione personarum, locorum, & temporum. Quæ dispensatio erit solius Provincialis ex Commissione P. Generalis. *f*

4. Sic autem dispensati seorsum à Collegialibus esse debebunt, sub cura Sacerdotis ad id designati à Provinciali; qui Sacerdos vicem Magistri Novitiorum gerat: servabuntque, quantum studia patiuntur, quæ Novitiis præscripta sunt; cujusmodi erit, ut per dimidiam horam vesperi orent; sed iis tantum diebus, quibus à studiis vacaverint. *g*

5. Coadjutores autem Temporales, ut nulla ratione è Novitiatu extrahendi sunt, nisi per annum integrum in eo fuerint, & benè satisfecerint: ita in Collegiis, suum quasi Magistrum in spiritualibus habeant; & cum ad Vota sunt admittendi, per mensem ad Novitiatum revocentur; aut saltem ubi sunt, per idem tempus se colligant: nulloque modo ante finitum biennium publicis Officiis exponantur. *h*

6. Hoc Novitiatu tempore non sumi-  
tur

tur habitus ullus certus Societatis; sed discretioni ejus, qui præest, relinquitur, an cum iisdem vestibus, quas ex sæculo tulerunt, incedere sint permittendi, an cum aliis eas permutari oporteat. Ceterum convenit, ut qui probantur, vestitus ratione ad mortificationem, & abnegationem sui juventur. i

S E C T I O II.

*De Separatione Novitiorum ab Externis & Domesticis.*

I. **I**N universum loquendo, qui probantur in Domibus Societatis, non modò à studiis literarum vacare debent, quò magis in virtutibus, ac devotione proficiant; Sed cum tanti referat ab omnibus imperfectionibus, & quibusvis impedimentis majoris spiritualis profectus eos removeri; multum ad id conferet, omnem communicationem per verba & scripta ut abjiciant cum iis, qui in proposito sibi Instituto tepescendi causa esse possent: & si aliquis perturbaretur ab hominibus, qui in via spiritus non benè procedunt; videat Superior, num eundem in alium locum transmitti expediat, ubi divino

i Ex. c. 1. §. 13. & F. & P. 1. c. 4. §. 4. & P. 3. c. 2. C. & P. 6. c. 2. M.

*Novitiis à Studiis, & Externorum ommercio segregandi.*

l Ex. c. 7. §. 1. & P. 3. c. 1. §. 27. & C. 2. D. 14.

vino obsequio commodiùs insistat. Igitur cum iis duntaxat personis agere permittendi sunt, & de iis rebus, quæ juvent in divino obsequio ad propositum sibi finem. Quod si aliquando permittenda viderentur colloquia cum consanguineis, vel amicis sæculi, id coram aliquo à Superiore designato fiat: nisi ob particulares causas is, qui supremam curam habet, aliud statueret. Sic etiam neque scriberent, neque acciperent literas, quas Superior non permiserit videritque. *m* Et curandum est, ut omnem carnis affectum erga sanguine junctos exuant: utque loquendi modus sentiendi modum juvet, sanctum est consilium ut assuescant non dicere quod parentes, vel Fratres habeant, sed quod habebant. *n*

*m* Ex. c. 4. §. 6.  
& P. 1. c. 4.  
§. 4. & P. 3. c.  
1. §. 2. B. &  
R. M. N. 50.  
& 52. 53.  
*n* Ex. c. 4. §.  
7. & C.

*Ne indifferentes  
eum Domesticis  
agent.*

*o* P. 1. c. 4. §.  
4. & P. 3. c.  
1. §. 2. 3. &  
D. & Reg. M.  
N 54.

*p* C. 1. D. 127.  
& C. 2. D. 11.

2. Immo neque domi promiscuè cum omnibus agent, sed cum iis tantùm prudentibus & maturis, qui à Superiore præscripti fuerint: quorum exemplo, & spiritualibus colloquiis ædificationem accipiant, non autem offensionem; & proficiant in Domino. • Et quò faciliùs hujusmodi segregatio procederet, Statutum est; ut Domus Probationum omninò essent distinctæ, aut etiam separatæ à Collegiis. *p*

2. Quin

2. Quin etiam ut plurimum Novitios inter se conversari non convenit; sed silentium invicem observare, nisi in rebus, in quibus loqui necesse sit. Sic etiam si duo in eodem cubiculo lectulos suos habeant, alter eorum hujusmodi sit, ut minime dubitetur, quod alter ejus Societate proficiat. ¶ Immo terni aut quaterni in cubiculis, antiquiores cum recentioribus permixti, manere debent, etiam interdiu, non in aula, quæ communibus tantum conventibus & exercitiis destinata est. ¶ Demum Novitii non sunt ut plurimum assignandi in Socios nostris, qui adeunt Domos sæcularium. Nec debent habere officia publica, in quibus necessarium sit agere cum Externis. ¶

*Nec indiscriminatim inter se.*

¶ P. 3. c. 1. D.

¶ P. 3. c. 1. D.  
& Or. c. 2. §.  
8. R. M. N. 51.

¶ R. M. N. 53.

### SECTIO III.

#### *De Exercitationibus communibus Novitiorum.*

1. **S**ed ne majus periculum Novitiis ab otio sit, quam timeretur ab ipsa turba, exercendi sunt in omni Religiosæ vitæ officio juxta Mag. Novit. Regulas; ubi describitur exactè ordo servandus in Domino Probationis, ea temporis partitione ad-

*Ordo servandus.*

z P. 3. c. 2. §.  
4. & C. 2. D.  
28. C. 3. D.  
31. R. M. N.  
61. 62. & 68.  
& seq.

*In quibus eru-  
diendi.*

x Ex. c. 4. §.  
41.

y P. 3. c. 1. §.  
20.

*Quantum tem-  
poris Orationi  
tribuendum.*

adhibita; ut cum multum orationi, lectio-  
ni, examini conscientiae, collationibus  
spiritualibus, aliisque piis exercitationi-  
bus tribuatur; non desint tamen opportuna  
quaedam mentis avocamenta in labore ma-  
nuum, aut recreatione post cibum, quae  
piis sermonibus tota traducitur.

2. Porro ut universim procuranda hoc  
tempore continuum puritatis ac virtutum  
augmentum, & inflammata in Domino  
desideria multum in hac Societate Divinae  
Majestati serviendi; x ita speciatim prae-  
scribitur, ut explicetur singulis hebdo-  
madibus Doctrina Christiana, ac modus  
bene, & cum fructu confitendi, commu-  
nicandi, Missam audiendi, & in eadem  
ministrandi, orandi itidem, meditandi,  
& legendi, pro captu uniuscujusque, tra-  
datur: cureturque non solum ut addiscant,  
quae conveniunt, sed etiam ut memoria  
teneant, & exercent, quae didicerint:  
omnesque suum tempus rebus spirituali-  
bus impendant; & devotioni quaerendae,  
pro mensura gratiae Dei ipsis communi-  
caetae, insistant. y

3. Sed ut in tanta rerum varietate certa  
& communi aliqua lege procedatur: sum-  
mo mane integram horam Orationi men-  
tali, aut vocali, aut meditationi dent,  
juxta

juxta cujusque captum: & præter consueta etiam conscientiae examina, singula per horae quadrantem duratura, paulò ante cœnam per semihoram orationi vacabunt.

2. Hoc autem orandi tempus cum particularibus augeri, vel minui poterit, dummodò ad duas horas ordinariè non obligentur. 3. Præterea licet Nostri præscribendum non sit, ut omnes in eundem locum orationis causa conveniant; cum Novitiis tamen in oratione ante cœnam dispensari poterit. b

4. Idem confiteantur oportet, & Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumant octavo quoque die; & si Sacerdotes sunt, crebrius Missæ sacrificium offerent. c Quod si intra designatum tempus ad Confessionem non accederent, subtrahatur eis cibus corporis, donec cibum spiritus sumant. d

5. Juvandi etiam exercitamentis obedientiæ, paupertatis & abnegationis sui, eosdem tentando, eo modo quo Dominus Abraham tentavit; in eo tamen mensura juxta uniuscujusque vires, ut discretio dictabit, servetur. Et licet utrumque bonum sit rogare, & jubere; nihilominus in initiis magis proficiet aliquis si jubeatur, quàm si rogetur. e

6. In

2 R. M. N. 69.  
& 73. & 77.  
78.

a C. 1. D. 97.

b C. 1. D. 98.  
& C. 4. D. 59.

c Ex. c. 4. §.  
25. & P. 3. c.  
1. §. 11.

d P. 3. c. 1. Q.  
& R. M. N. 9.

Abnegatio sui.

e Ex. c. 4. §.  
28. 29. 30. &  
D. & P. 3. c.  
1. §. 15. & N.  
& V. & R. M.

N. 42.



*Mortificatio exteriorum.*

*f* P. 3. c. 1. §. 1. & c. 2. §. 1. 2. & 5. & P. 6. c. 3. §. 1. & P. 10. §. 10. & R. M. N. 43.  
*g* R. M. N. 40.  
*h* P. 3. c. 1. §. 4. & 12. & R. M. N. 48.

*Quid generatim in his servandum.*

*i* Ex. c. 4. §. 9. & 16. & R. M. N. 27.

*l* Ex. c. 4. §. 9. & 16. & P. 9. c. 3. §. 8. & E. & R. M. N. 37. 38. 39.

6. In pœnitentiis advertendum, ne nimius hujusmodi rerum usus tantopere vires debilitet, ut postea ad ministeria nostri Instituti inutiles reddantur; nec contra tanta in illis sit relaxatio, ut fervore spiritus refrigescente, humani ac inferiores affectus incallescant. *f* Mortificationes autem publicæ ne fiant, nisi ordinariæ. *g* Dabitur etiam opera, ut Novitii diligenter instituantur in religiosa modestia juxta Constitutiones & Regulas. *h*

#### S E C T I O I V.

##### *Experimenta Societatis peculiaris.*

1. **P**RÆTER hæc communi quodammodo jure Novitorum usurpata, sex Experimenta in Societate requiruntur; de quibus in genere dicendum est, præcipuam Novitatus partem in his probationibus positam esse. Poterunt tamen ea anteponi, postponi, & mitigari, habita ratione personarum, temporum, & locorum, tum etiam in alia permutari, prout Superior judicaverit. Qui in permutatione, & notabili moderatione, pariterque in dilatione ultra primum annum, consulat Provinciale. Superior etiam curet, ut hæc probationes debitis spatiis distinguantur.

distinguantur, ut corpore & spiritu recreentur. Curabit etiam, ut bonum testimonium habeant ab ijs, penes quos Experimenta subierint. *m* Demum cum hæc Probatio non fit in Domo Probationis, sed in Domibus Professis, aut Collegijs, sit aliquis, qui Novitiorum peculiarem curam gerat: ubi in recreatione separati sint, adjunctis aliis, à quibus in Domino adjuvari possint. *n*

*m* Ex. c. 4. §. 18. & seq. & R. M. N. 38.

*n* R. M. N. 34.

2. Primum experimentum est in spiritualibus Exercitiis mensem unum, plus minus, versari; quæ tradentur ordine præscripto in Exercitiorum libro, juxta cujusque dispositionem & captum; ut inde, præter alia, certam, ac nostro Instituto consentaneam, mente, & voce orandi rationem habeant. *o* De hoc experimento vide dicta supra Cap. 4. §. ultimo.

*o* Ex. c. 4. §. 10. & P. 3. c. 1. §. 20. & R. M. N. 28.

*o* Ex. c. 4. §. 10. & P. 3. c. 1. §. 20. & R. M. N. 28.

3. Secundum est servire in uno, vel pluribus Xenodochiis per mensem alium, eritque Magistri dispicere quid magis expediat, an Nostros ibidem cibum capere, & dormire; an verò per aliquot horas quotidie ministerium ægris impendere; idemque curabit ne nimius fervor in hac probatione Nostrorum valetudini officiat. *p*

*p* *In servire Xenodochiis.*

*p* Ex. c. 4. §. 11. & R. M. N. 29. 30.

4. Tertium est peregrinari mensem alium sine pecunia, ostiatim pro Christi

*p* *Peregrinatio.*

D amo-

amore mendicando : ut incommoditati comedendi , & dormiendi assuescant ; & ut omni spe abjecta , quam in pecuniis , & rebus aliis creatis possent constituere , eam integrè , & vera cum fiducia in Domino

¶ Ex. c. 4. §. 18.

constituant. ¶ Sed advertendum , ne imbecilles , aut tenerioris ætatis his peregrinationibus notabile detrimentum patiantur : aut fiant asperiore hyeme , vel æstate : dabunturque illis litteræ patentes , & cum opus fuerit , etiam particularis instructio. ¶

¶ R.M.N. 32.

*Ministeria humilia.*

5. Quartum est post ingressum in Domum , omni cum diligentia & sollicitudine , in variis officiis abjectis , & humilibus se exercere , promptius ea suscipiendo , à quibus sensus magis abhorrebit ; curandum tamen , ne nimia corporis fatigatione spiritus obruatur : & in Scholasticis fiat potius ad propriam cujusque abnegationem quam pro domestica aliqua necessitate. Dum autem hæc probatio fit in Domo Probationis ; vacabit , qui ita probatur , ab aliis exercitiis aliorum Novitiorum , exceptis Conferentiis , & Exhortatione ordinaria. ¶

¶ Ex. c. 4. §. 13. & 28. & R.M.N. 33.

*Catechesis.*

6. Quintum est doctrinam Christianam pueros , & alios rudiores homines publicè , vel privatim , juxta personarum proportionem , docere , quod est proprium nostri Instituti. ¶

¶ Ex. c. 4. §. 14. & R.M.N. 35.

7. Sex-

7. Sextum est, postquam in probationibus bonæ ædificationis specimen præbuerint, ulterius ad prædicandum, vel confessiones audiendas progredi; quod de idoneis intelligendum est; & ne tanquam ordinarii Operarii, sed brevi tempore, & ad probationem his ministeriis admoveantur. « Ut ministerio autem concionandi assueſciant, uno die cujusque hebdomadæ exercebuntur in Tonis; ad quos tamen Coadjutores non convenient. »

8. Ut hæc omnia melius procedant; quin & tota vita tutius, ad laudem Domini nostri, interiùs dirigatur: necesse est, qui admittuntur, saltem intra aliquot menses ab ingressu, sub sigillo confessionis vel secreti, vel quacumque ratione eis placuerit, conscientiam suam, totiusque antea actæ vitæ rationem Superiori, vel ejus delegato manifestare. Tum sexto quoque mense ab ultima manifestatione eandem repetent de iis, quæ postmodum acciderunt: & ab ultima generali confessione incipiendo, generaliter confitebuntur. Quod quidem servandum est annis consecuturis, donec Gradum seu Professi, seu Coadjutoris formati assequantur. Hoc autem primo biennio præterea quolibet semestri relegantur literæ Apostolicæ, Examen, &

*Concionari.*

« Ex. c. 4. §.  
15. & R.M.N.  
36.

« Ex. c. 4. §.  
25. & R.M.N.  
60. & 76.

*Reddenda conscientia ratio,  
& Examen repetendum.*

y Paul. III. p. 11. & Jul. III. p. 63. & Ex. c. 4. §. 34 & c. & R. M. N. 63. & seq.

Regulæ, interrogenturque singuli, an sint illis contenti, viresque sibi animi & corporis suppetere sentiant ad vivendum, moriendumque in Societate. y

## S E C T I O V.

## De Magistro Novitiorum.

Dotes Magistri  
Novitiorum.

1. **H**Æc porrò, quæ instituendis Novitiis diligenter admodum sancita sunt, ut suum exitum sortiantur, Magistri Novitiorum operam maximè exposcunt. Is igitur eligendus est vir fidelis, & in spiritualibus versatus; qui eos doceat quomodo & interiùs & exteriùs se habere debeant, & ad id eos hortetur, & in memoriam redigat, & amanter admoneat; quem omnes, qui in probatione sunt, diligant; ad quem in suis tentationibus confugiant; cui confidenter sua omnia detegant; & à quo consolationem, & auxilium sperent in Domino. z

z P. 3. c. 1. §. 12. & k. & R. M. N. 2. & 8.

Obligaciones.

2. Idem, cui hæc cura demandata fuerit, rem magni momenti sibi esse commissam intelligat; quandoquidem ex prima Novitiorum institutione pendet majori ex parte eorundem profectus, & spes nostræ Societatis in Domino; curetque, ut in dies, per studium propriæ perfectionis, instrumentum aptius ad eos juvandos reddatur. a

a R. M. N. 1.

3. In Domibus Probationis separatis habeat etiam Regulas, & Facultates aliorum Rectorum, exceptis iis quæ Novitiatui non conveniunt. *b* Immo quando absoluto triennio Superiores abire Magistratu jubebantur, semper Summi Pontifices, quorum Decretum illud fuit, ab eo immunes esse voluerunt Novitiorum Magistros: quos ab alio etiam exemerunt, quo interdicebatur, Superioribus subditorum confessiones audire. *c*

*Jura eorum qui sunt Rectores.*

*b* R. M. N. 3.

*c* C. 5. D. 64. & Brev. Innoc. X. 1. Jan. 1646. & Br. Urban. VIII. 31. Aug. 1639.

4. In Domo conjuncta Magister Novitiorum erit subordinatus Præposito, vel Rectori, non tamen Ministro. *d* Idem etiam pœnitentias in Novitiatu tantum suis Novitiis imponere poterit. *e* Habeat potestatem ordinariam absolvendi Novitios à casibus reservatis, nisi ejus Superiori aliter videretur. *f*

*Et eorum qui non sunt Superiores.*

*d* R. M. N. 3. 5.

*e* R. M. N. 6.

*f* R. M. N. 7.

5. Habeat socium Sacerdotem à Provinciali designatum, cujus conficiendæ sunt Regulae, & aliquem Fratrem manufactorem Novitiorum. *g*

*Ejus Socii.*

*g* R. M. N. 4.

& C. 11. D. 36. §. 2.

6. Versatum esse oportebit in lectione librorum spiritualium, eorumque potissimum, qui in ipsius Regulis indicantur. Novitiis autem eos tantum legendos tradet, qui nostro Instituto conveniunt. *h*

*Libri ab eo legendi & concedendi.*

*h* R. M. N. 8.

7. Lectiones fiant de his, quæ ad Institutum

*Exhortationes qua.*

tutum pertinent ; oporteret tamen explicat<sup>o</sup>tionem Regularum , si fieri posset , intra biennium absolvi ; neque idcirco alterius generis Exhortationes interdiciuntur : immo expedit interdum mutari materiam ad levandum tædium. Modus autem sit facilis, & accommodatus ad Novitiorum animos incitandos. i

i R.M.N.44.  
& In.16. §.1.

Novitios per-  
spectos habeat.

Omnes perspectos habeat , ut magis illis prodesse possit ; ad quod juvabunt frequen-  
tia & privata cum illis colloquia ; quorum magnam esse utilitatem sciat. l

l R.M.N.47.

In dimittendis  
multum ejus  
judicio tribuen-  
dum.

9. Provinciales in demittendis Novitiis Magistri judicium magni faciant ; nec se in dimittendo difficiles exhibeant , cum id Novitiorum Magister , causis adhibitis , proponet. m Reliqua spectantia ad Offi-  
cium Magistri Novitiorum aut allata , aut indicata sunt proximè , dum de prima & secunda Probatione ageretur.

m In. 6. §. 2.

Quoties, & de  
quibus ad Su-  
periores scribet.

10. Scribet ad Generalem tertio quoque mense ex Europa ; ex Brasilia , & Nova Hispania bis in anno ; ex Indiis semel ; & præterea quoties necessitas urgebit. Mate-  
ria verò erunt , quæ accidunt majoris mo-  
menti ; & illa potissimùm , in quibus Provincialis admonitus , vel non providet , vel providere nequit. n Ad Provinciale  
verò sexto quoque mense scribat , an ali-  
quis

n Form. scrib.  
§. 7. 8. 9.

C A P. VI. *Seç. I.* 55

quis inutilis videatur nostro Instituto; & de singulis sub finem biennii quid ipse sentiat; ut supra dictum est. Si verò fuerit etiam Rector, scribet frequentius, ut infra cum de Officio Rectoris dicetur.


R.M.N. 56.  
57.

C A P U T V I.

De Votis Simplicibus Religiosis tum ante, tum post expletum Biennium.

S E C T I O I.

*De Votis non expleto Biennio.*

**I.**  Um præter communem morem Biennium integrum transigendum sit, antequam Novitiatu expleto, per simplicia Coadjutorum & Scholasticorum Vota, Nostri fiant Religiosi; ad solatium spirituale, & uberius meritum illorum, qui sic probantur, permitti eis à Superiore poterit; ut consue:ta formula non tamen in cujusquam manibus, sed in secreto animi sui, Vota prædicta emittant: & ad memoriam conservandam obligationis factæ, unum scriptum ejus, quod Deo promiserunt,

*Cur, & quomodo hæc Vota emittantur.*